# ANATOMIA, ID EST DISSECTIO SPIRITUALIS CORDIS B. CAROLI CARD. &…

Bartolomeo Rossi

Madelo



# ANATOMIA.

id eſt

## DISSECTIO SPIRITVALIS CORDIS

B.Caroli Card. & Archiepiſcopi Mediolani

ROMAM,

Nuper maxima cum veneratione traducti, & ingenti lætitia, omniumq; applauſu recepti.

IVSSV

PAVLI V. P. O. M.

*Hieroglyphicis Symbolis delineata, & in duas* PARTES *interſecta*.

AVCTORE R. D. BARTHOLOMÆO de Rubeis Doct. Theologo.

Dicata Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. D.

PHILIPPO BEMBO SENATORI SAPIENTISSIMO.

VENETIIS, M. DC. XVI.

Apud Angelum Deuchinum.

# Ecclef. Cap. xxxix.

COR ſuum tradet ad vigilandum diluculo,
ad DOMINVM, qui fecit illum,

*Et in conſpectu Altiſſimi deprecabitur.*

# Iſai. Cap lx.

Tunc videbis, & afflues, & mirabitur,
& dilatabitur

COR TVVM;

*quando conuerſa fuerit ad te multitudo Maris,
fortitudo gentium venerit.*

TIBI.

# ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO D. D. PHILIPPO BEMBO

Patritio Veneto,

SENATORI AMPLISSIMO, & Domino colendiſſimo.

Bartholomæus de Rubeis Doct. Theologus. S. F. E.

C*VM ſancta mater Eccleſia, cœlitus edocta, noſtræque ſalutis admodum auida, per totum anni circulum, coram fidelium oculis, Sanctorum heroica facta proponere non ceſſet, vt tanto illuſtrati ſplendore, per imitationem, æternæ ſalutis præmium conſequi poſſint; Nobiſque hiſce proximis elapſis annis, glorioſi* CAROLI *vitam, omni ſanctitate conſpicuam, præ oculis propoſuiſſet; Nos inquam, qui oculis noſtris*

*Altera eſt, quòd dùm* VERONAE, *tanta cum laude* PRAEFECTI *officio fungebaris, quo ſanè tempore, per aliquos menſes tibi inſeruire dignum me feciſti, tunc vnico Anagrammate*, SERENISSIMI FRATRIS *tui*, PRINCIPATVS *dignitatem ſupremam, maximis ſuis meritis forè adepturum (vt probè noſti) prædixiſſem; Æquum erat, vt & ego minimus ſeruus tuus, in hac totius ferè Orbis lætitia, ob hanc ſupremam dignitatem; meritò illi debitam, tibi potiſſimum gratularer, atque ſub eiuſdem* CAROLI BEATI *fortunatiſſimis auſpicijs, felicem ac proſperum actionum veſtrarum, deprecarer exitum. Faxit* DEVS *ad Catholicæ* REIP. VENETAE, *ac eius ampliſſimi Imperij ſalutem, vt vos totamquè Illuſtriſſimam familiam veſtram ſeruet incolumem, quem ego ex intimis præcordijs exoro.*

# Ad eundem Illuſtriſsimum, & Excellentiſsimum Dominum.

De eius nominis interpretatione quod eſt;

# PHILIPPVS.

ideſt

## OS MANVVM

eiuſdem Auctoris

# DISTICON

*Quidquid agis loquerisvè* PATER, *vel mente reuoluis,*
*Sola* DEI *totum gloria claudit opus.*

# ANATOMIAE
ideſt
# DISSECTIONIS
## SPIRITVALIS
IN GENERE.

Prima Pars.

## GLORIOSI CAROLI
# CORDIS

Eleuationem, Vnitatem, & Quietem in DEO repreſentans.

# De CORDIS eleuatione in DEVM

*ARGVMENTVM.*

*Beati* CAROLI *puriſſimum* COR, *ad cœleſtia iugiter anhelans;*

Vt ea conſequi poſſet, totis viribus ſe dabat.

## SYMBOLVM.

*AQVILA in montis cacumine, propè* SOLEM *conſtituta, cuius* PENNAE *igneſcunt.*

NOEMA.

## CVM PENNIS COR.

THEMA.

Quia inflammatum eſt Cor meum; & renes mei commutati ſunt.

*Pſal. LXXII.*

DECLA-

# DECLARATIO.

CVM Anima hæc rationalis, in CORDE præcipuè tanquam Rex in regno (ſecundum Peripateticos) formaliter & tota in toto corpore, ſuam habeat ſedem; COR verò a Philoſophis, pro illa parte, ſeu membro accipiatur, quod in vniuſcuiuſque hominis medio ſitum eſt, à quo, ceù à fonte perenni, ſpiritus vitales originem trahunt, & ſic acceptum COR, Philoſophi pluribus in locis, & Ariſt. potiſſimum tertio de Anima, in l. de motu anim. in tract. de aſpir. & reſp. multa dicit, eius figuram deſcribens, poſitionem, motum, & alia quamplura his ſimilia. Verum enimuerò, cum huiuſcemodi CORDIS conſideratio, ad noſtrum non ſpectet inſtitutum, ob id illam ſilentio prætereuntes, cum & ipſa ſacra Scriptura, vix in prædicto ſenſu, de ipſo CORDE, ſermonem habeat, idcirco; quomodo COR à Theologis accipiatur, & qualis ſit eorum circa ipſum COR conſideratio, videndum eſt.

*Anima noſtra ubi reſidet.*
*Cor à Philoſophis quomodo intelligatur.*
*Ariſt.*

COR igitur ab ipſis pro illa parte intellectuali animæ accipitur, quæ Memoriam, Intellectum, & Voluntatem (quæ ſunt ipſius Animæ potentiæ) continet. Quamuis in ſacris litteris, aliquando COR pro ſolo Intellectu accipiatur, vt Roman. 1. habetur; *Obſcuratum eſt inſipiens COR eorum*; non raro pro ſola voluntate, vt Math. 6. legitur; *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt COR tuum.* Pro ſola Memoria, vt plurimum, prout Deut. 4 habetur; *Ne excidat de CORDE tuo.* Sæpè ac ſæpius etiam pro tota illa parte, quæ ſolam rationem continet, COR accipitur, vt per Ioel 2. ipſemet DEVS ad peccatores clamabat; *Conuertimini ad me in toto CORDE veſtro.* Secundum hanc poſtremam CORDIS acceptionem, quoniam modo B. CAROLVS COR ſuum, dum viueret, erga DEVM eleuatum haberet, ex hoc potiſſimum apparet, nam ſummam CORDIS munditiam, & puritatem, (quæ duo COR in Deo eleuatum tenent) habuit ferè ſemper; & neceſſariò, non ſolum ad poſſidendum DEVM in patria, ſed etiam ad illum amandum in via, requiruntur. Quam ſanè doctrinam Platonem non ignoraſſe, ex eius verbis lib. 5. de Rep. apparet,

*Cor à Theologis quomodo intelligatur.*
*Cor pro intellectu aliquando.*
*Cor pro voluntate vt plurimum.*
*Cor pro memoria ſæpè.*
*Cor pro omnibus animæ potentijs accipitur.*
*B. Caroli cor mũdum habuit, & primum.*
*Plato.*

dicentem;

*Simile.*

dicentem; Quemadmodum oculus, quamuis Solis ſit filius (vult enim viſum igneæ naturæ eſſe) tamen niſi Solis luce perfuſus, ſolem ipſum non videt; neque rem vllam perſpicit, etiam ſibi propinquam: Ita nulla mens, etiam ſi DEI

*Applicatio*

ſit filia (vocat enim Animas, vel diuinas illas mentes DEI filias, & ſoboles, eò quod ſine materia creatæ ſint) DEVM videre poterit, niſi DEI lumine illuſtretur. Illuſtratur au-

*Deus quomodo videatur in cœlo, & in hoc mundo.*

tem humana mēs in cœlo lumine gloriæ, iuxta illud Pſ. 35. *Et in lumine tuo videbimus lumen*, & in terra, diuina gratia, illam purificante; Quare hac CORDIS munditia exornatus CAROLVS, iuxta CHRISTI promiſſum, Matt 5. dicentis; *Beati mundo CORDE, quoniam ipſi DEVM videbunt*;

*B. Carolus viuens DEū videbat oculis mentis.*

quem lumine gloriæ nunc in cœlis iugiter intuetur, eiuſq; diuina eſſentia fruitur. Quæ ſanè CORDIS mun-

*Cordis munditia i duobus cōſiſtit.*

ditia, per quam hominis fidelis COR in Deo eleuatur, in duobus conſiſtit; ſcilicet in Intellectus, & Affectus puritate.

*Munditia Intellectus qua.*

Eſt autem Intellectus munditia, puritas a tribus, ſcilicet a curioſitate inquiſitionis, ab inutilitate cogitationis, & a falſitate opinionis, vel erroris. Hæc enim tria Intellectum inquinare ſolent.

*Munditia Affectus qua.*

Affectus munditia verò, eſt puritas a tribus; à primo motu prauæ delectationis, videlicet, à conſenſu noxiæ delectationis, & ab amore carnalis affectionis. Qualiter autem B. CAROLVS (quandiù vixit) COR ſuum ab omnibus maculis prædictis expurga-

*B. Carolus cor mundū ſemper habuit.*

tum tenuerit, ex hoc apparet, nam; vt vas, & ſpeculum, & tanquam Oculum COR ſuum habuit ſemper. Vt Vas

*Cor B. Caroli Vt vas.*

inquam, COR ſuum ab omni culpę rubigine purum, ad diuinæ gratiæ precioſum liquorem recipiendum, tenere curabat CAROLVS, Iſai. 52. conſilij non immemor, dicentis; *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*. Vt ſpeculum, quod

*Vt ſpeculū fuit cor B. Caroli.*

abſterſione, defricatione, & ablutione mundatur; ſic COR ſuum tenebat CAROLVS, vt Deo conſcientiæ ſuæ faciem inſpectori, illam exhiberet puram, quòd ſummopere exquirit DEVS, vt Cant. 2. legitur, vnicuique dicens; *Oſtende mihi faciem tuam*. Hanc inquam animæ ſuę faciem abſterſione, hoc eſt confeſſionis, & orationis frequentia, nec non diſciplinæ auſteritatis defricatione, ac lachrymarum ablutione, CORDIS ſui ſpeculum perlucidum tenebat CAROLVS. Quod itidem, velati Ocu-

lum,

lum, à terrenæ cupiditatis puluere, nec non à carnalis voluptatis macula, prout etiam à mundanæ dignitatis albugine, illud expurgare ſtuduit ſemper, D. Io. Chryſoſtomi doctrinæ non oblitus, dicentis; Secundum quod quis eripuerit ſe a malis, & fecerit bona, ſecundum hoc, & DEVM videt, aut turbulentè, aut mundè, aut modicè, aut amplius, aut interdum, aut ſemper. Quare dicere non dubitamus CAROLVM, propter CORDIS ſui munditiam, nunc mentis oculis, gloriæ lumine mediante, DEVM ſemper videre, quem aliquando, dum in hoc mundo erat, lumine gratiæ per fidem intuebatur, quippe qui ad cœleſtia meditanda, vt plurimum erat intentus, quare, vt in præaſſumpto SYMBOLO;

*Vt oculus cor B. Caroli erat. D. Chryſ.*

Tanquam AQVILA, quæ hiſce inferioribus ſpretis, ſublimia petens, ipſiq; Soli approximata, tanta ex illius luce perfruitur delectatione (ita naturales aſſerunt) quod parum, nihilvè curat, eius pennas comburi, modo oculorum ſuorum acies recreetur; ita quod inter tormentum, & delectationem conſtituta, animi pendet, quid eligere, aut effugere debeat; verum à Solis radijs admodum illecta, pennis priuari potius vult, quam nimis ſollicita eſt tali ſplendore perfrui, adeo quod non inconueniens eſt NOBMA tali SYMBOLO appoſitum, quod eſt;

*Aquila proprietas.*

CVM PENNIS COR (intellige) volo vt ardeat, modo oculi mei Solis radijs recreentur.

Veluti AQVILAM generoſam B. CAROLVM fuiſſe toto vitæ ſuæ tempore præter illa, quæ in noſtro THEATRO SPIRITVALI, ad ipſius honorem conſtructio, pluribus in locis diximus, permultis alijs de cauſis etiam, COR eius, AQVILAE aſſimilari, aſſerimus: AQVILA enim, ſuis ſe pennis, ſuper omnes volucres erigit, ſic CAROLVS, CORDIS ſui munditia, morumque ſanctitate, ſuper viros probos, qui tunc temporis viuebant, excreuiſſe, adeo quod, merito dicere poterat; *Supremos pauos*. Per huius myſticæ AQVILAE alas binas, duas intelligere poſſumus vitas, Actiuam, videlicet, & contemplatiuam, in quibus ſic perfectè exercebatur, vt illas volaſſe potius, quam ambulaſſe, vere dici poteſt, quod à perfecta intentione, & diuinæ contemplatio-

*B. Carolus tanquã Aquila fuit*

*B. Caroli Cor Aquilæ comparatur multis de cauſis.*

*Per alas Aquilæ quid intelligendum.*

nis

nis vnitate in nullo deficiebat, quæ omnia ad ipſius DEI nutum perfectè præſtabat. Generoſa, ac nobiliſſima inter omnes Aues ſemper extitit AQVILA, quę ſuper omnes, Regina conſtituta fuit. AQVILA ſemper fuit B. CAROLVS; tùm propter generis nobilitatem, qui ex Comitum BORROMAEORVM familia in Mediolani Ciuitate in primis florente, originem duxit; tum etiam propter virtutes eximias, eiuſque morum ſanctitatem; Hęc enim eſt vera nobilitas, vt D. Hieron. epiſt. 14. ad Cęlan cap. 5. fatetur: Summa apud DEVM eſt nobilitas (ait) clarum eſſe virtutibus. Sanctitas enim illa eſt, quę maximè facit eſſe nobiles filios DEI, & Regni cœleſtis heredes. Tanquam AQVILA generoſa itidem, ad Domini pręceptum, vt Iob 39. legitur. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur AQVILA?* B. CAROLVS in cœlum eleuatus eſt, nam DEI virtute, & gratia, quę per CHRISTI monita, CAROLO, ac cęteris ſanctis data eſt, in cęlum aſſumuntur: Ipſe igitur, cogitatione, ac operibus ad cęleſtia iugiter anhelans, veluti AQVILA, quę ima abhorret, & obſcura, ſurſum greſſus ſuos dirigit, dicere poterat; *Deorſum nunquam*. His permultis aliiſque virtutibus, myſtica hęc AQVILA præſtabat, cuius Pennę, charitatis igne, erant ſuccenſę, ſicut illius COR erat, vndè meritò, cum dixiſſet, CVM PENNIS COR, ſubdere potuit, vt in aſſumpto THEMATE diximus;

*B. Carolus nobiliſſimus fuit.*

*Virtutes homi nem nobi le reddunt.*

*Iob 39.*

*Charitate inflammatus erat Carolus.*

*Quia inflammatum eſt COR meum, & renes mei commutati ſunt.* Nec mirum eſt, quod, cum charitatis igne COR ſuum inflammatum haberet CAROLVS, etiam ipſos renes haberet commutatos, nam; vbi maior, minor ceſſat. Cum enim CAROLI COR, amore CHRISTI exardeſceret, charitatiſque flammas, omni ex parte, tranſmitteret; quid mirum ſi igniculo, quem à natura intra renes habebat incluſum, CORDIS ſui incendio, expulſo, eius renes commutati erant? Preterquam quod, ad corporis ſui tyrannidem comprimendam, ex quo renum ignis alitur, Ieiunijs, vigilijs, & abſtinentijs, ac varijs caſtigationibus, illud domabat, Apoſtoli veſtigijs inhęrendo, dicentis; *Ne cum alijs prædicauerim, reprobus*

*Argumentum à maiori ad minus.*

*B. Carolus corpus ſuum valdè affligebat.*

 efficiar:

*efficiar.* Quamuis corpus illud, quod ſocium multorum laborum, & præclariſſimarum virtutum, quas anima eius nobiliſſima habuerat, & nunquam, aut perraro rebelle expertum fuiſſet, minus dure tractandum erat. Tanta CORDIS puritate igitur, ac ſummo charitatis ardore, ſic ad cœleſtia inquirenda deditus erat CAROLVS, quód terrenis hiſce ſpretis, DEVM ſolum, toto CORDE inquirebat, cum quo, illud coniungere mirum in modum exoptabat. *B. Carolus ad cœleſtia ſolum erat intentus,*



De

# DE CORDIS
## Vnitate in Deo.

*ARGVMENTVM.*

*Tanta erat Beati* CAROLI, CORDIS *cum* CHRISTO *Vnitas,*

quod nulla mundi potentia

ab eo, (nec ad modicum temporis ſpatium) illud ſeiungere vnquam potuit.

## SYMBOLVM.

*ADAMAS, qui dum efficitur, FLOREM propè illum ſtantem, in ſe includit.*

# NOEMA.

NEC FERRO, NEC FLAMMA.

## THEMA.

Quis nos ſeparabit à charitate CHRISTI? Tribulatio, an &c.
*Roman. Cap. VIII.*

DE-

# DECLARATIO.

PHILOSOPHI ſententia eſt in lib. de cauſſis, dicẽtis; Quanto magis effectus aſſimilatur cauſſę, eo nobilior eſt. Hominem fidelem Iuſtum per bona opera, DEI gratia informata, ipſimet Deo adhęrere, qui omnium vniuerſaliſſima cauſa eſt, ac per conſequens cum eo coniungi, certum eſt, Apoſtolo teſtante 1.Cor 6 *Qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt*; cum illo inquam per gratiam vnitur Iuſtus. Quamplures Vnionis gradus a Theologis aſſignantur (duobus illis prętermiſſis, quorum alter, maxima vnionum vocatur, quo duę naturę, humana, & diuina in Incarnati Verbi diuino ſuppoſito inſeparabiliter coniunctę ſunt; altera vero maternalis vnio nuncupatur, quo Deipara Virgo, CHRISTO eius filio, vnita eſt, de qua D. Auguſt. ait; Caro Chriſti, fuit caro Marię, quibus creatura rationalis Deo coniungi poteſt. Primus vniotus gradus, creationis nuncupatur, quo mediante, omnia creata, Deo creatori, tanquam cauſſę efficienti, exemplari, & finali, coniuncta ſunt. Alter per vim intellectus efficitur, & per hunc fideles Deo coniunguntur eo modo, quo res intellectualis cum ſuo obiecto vnitur. Tertius altior eſt, & ſublimior, vnioque amoroſa vocatur, quę tunc efficitur, cum Anima fidelis, Dei gratia mediante, ipſi Deo (qui eius amor eſt, copulatur. Demum eſt, & alter vnionis gradus, qui glorificationis appellatur, quo mediante Anima Deo, tanquam eius obiecto beatifico coniungitur.

*Iuſtus Deo approximatur.*

*Vnionis gradus multiplices ſűt.*

*Vnio creationis.*

*Vnio intellectiua.*

*Vnio amoroſa*

*Vnio glorificationis.*

Quonam modo B. CAROLVS, Deo vnitus eſſet, ex iis, quę mox dicemus, liquido apparebit; Etenim, ſi de eius Animę creatione (quę nobiliſſima fuit) ſermonem habeamus, tanquam pretioſum locale fuiſſe, ex primo Symb. noſtri Theatri ſpir. manifeſtum eſt; prout Intellectus ſui a cumine (de quo infrà) nec non amoris vinculo, vt in ſuperiori Symbolo diximus, COR ſuum excellentiſſimo modo cũ Deo, coniunctum CAROLVS ſemper habuit: Quemadmodum, quoad glorificationis gradum, quamplures alios ſanctitate pollentes, CAROLVM excelluiſſe fatemur. Verum enimuerò; ſi Platonis doctrina vera eſt, dicentis;

*B. Carolus, amoris gradibus omnibus, cũ Deo vnitus fuit.*

*Plato.*

Affectus

Affectus voluntarij nodum, quo amans cum re amata coniungitur, alium quemlibet ſuperare, meritò quæuis mundi potentia, neque ad modicum temporis ſpatium, ab illa indiſſolubili vnione, qua B. CAROLI COR cum Deo coniunctum habebat, amoueri haud potuit; etenim quot, ac quanta ſuſtinuerit incommoda CAROLVS glorioſus, dùm in hoc mundo conuerſatus eſt, ac potiſſimum pro Eccleſiæ Dei reformatione, ex iis quæ in ceteris noſtris elucubrationibus diximus, manifeſte apparet. Ab eo enim die, quo MEDIOLANENSEM eccleſiam (iuxta Oecumenici Concilij decretum) expurgare cępit, in qua tot, tantique irrepſerant abuſus, vt vix Dei cultus in ea dignoſci poterat, tantis ac varijs vexatus eſt anguſtiis, & perſecutionibus, quòd multoties, certiſſimo mortis periculo, vitam expoſuiſſe pro comperto habetur. Nam, & Scalenſis Eccleſiæ foribus, inter hominum armatorum acies, ipſe ſolus abſque vllo prorſus timore, ſola CHRISTI cruce in corde prius, poſtea etiam in manu munitus, (quę multis in locis variis erat lacerata ictibus,) mortem nullo modo pertimeſcere, manifeſtum ſignum dedit, qui CHRISTI amore in CORDE tam erat ſauciatus. Epidimiæ morbus lethalis in tota ciuitate graſſabatur, adeò quod parentes paueſcebant, timebant amici, docti, piique viri pallebant de eius ſententia inſeruiendi iis, qui ob illum morbum contagioſum, omni temporis momento, vitam cum morte commutabant, nec ab ea ſententia vnquam potuit deduci, nam condito teſtamento, ac omnia ſua rectè diſpoſita, quæ ad eius animæ ſalutem ſpectabant, humilique ſepulchro ſibi delecto, ipſam mortem, inuictus CHRISTI miles CAROLVS, aggredi non pertimuit, dùm infirmis illis, non ſolùm ea, quæ ad animæ ſalutem, ſed & corporis vtilia erant, propriis ſuppeditabat manibus. Et vt ſilentio pertranſeamus alias perſecutiones in Ciuitate Mediolani paſſas, periculaq; alia innumera, dùm nō tantum ſuam, ſed aliorum Diœceſes, de Summi Pontificis mandato viſitabat; Illud ſolum animi inuicti argumentum efficax, iterum commemorare mihi liceat, nam in oratione defixus CAROLVS, ab homine ſceleſtiſſimo, tormenti manuarii ictu, in tergo vulneratus, miraculosè (vt creditur) illęſus remanſit,

*B. Caroli amor erga CHRISTUM Eccleſiaſticū.*

*B. Carolus animi fortitudine præſtabat.*

*B. Caroli charitas eximia.*

*B. Caroli vigilantia*

*B. Carolus animo, inuictus.*

remanſit; quam ſanè iniuriam tam forti animo ſuſtinuit, quod; nec ipſe ab oratione receſſit, nec ſuos familiares, qui cum eo orabant, ſeſe erigere permiſit, adeò eius COR cũ CHRISTO amoris vinculo erat coniunctum. Quare merito SYMBOLVM ſuperius propoſitum, ei aptare poſſe non dubitamus videlicet ADAMAS, qui dum efficitur, florem in ſe recludit.

De ADAMANTE, (qui hoc modo producitur, Alberto Magno tract. 2. Metheor. c. 19. teſte.) Refert enim ipſe, quod in montibus Aquilonaribus, nix mollis, e nubibus decidit, quo quidem tempore, vẽto Aquilonari flante, aerem procul pellens, niuem ipſam in chryſtallũ conuertit, quod ſi ipſemet Aquilo validior eſt, ſic chryſtallum illud durum reddit, quod ADAMAS efficitur. Quare ſi in eodem loco (ſic idemmet Auctor refert) flos reperiatur, ab ipſa niue (antequam Aquilo efflaret) circundatus, ſic in illo Adamante, flos ille recluditur, quod nulla vi ab eo extrahi, aut diuelli poteſt, adeò quod NOEMA huic SYMBOLO aptatum, et optime conuenit, quod eſt;

*Albert.*

*Adamas quomodo efficiatur*

Nec FERRO, nec FLAMMA. Apud Antiquos, vt Pier. Valer. refert, firmitatis, ac infracti animi Hieroglyphicum erat Adamas, nam indomabilis ſic eſt, quòd nullo inſtrumento, vel ferreo, vel æreo, ſed nec ipſo igne domari poteſt Adamas.

*Adamas Symbolũ eſt animi infracti.*

Hoc idem de CORDE glorioſi CAROLI, dicendũ eſſe, non dubitamus, qui licet a natura COR carneũ, & per conſequens molle, & ipſe haberet, tamen; non Aquilone, ſed Auſtro, (hoc eſt, Spiritus ſancti gratia) flante, illud tã ſolidum ad Diaboli tentationes repellẽdas reddidit, quod veluti precioſiſſimus Adamas effectus eſt. Quo ſanè tempore, CHRISTVM, (qui FLOS nuncupatur Cant. 2. *Ego FLOS campi*) in CORDIS ſui medio, iam ab ineunte ætate deferens, illum inquam adeo ſtrictè in CORDE retinuit, quod vt NOEMA habet;

*B. Caroli cor ſolidũ.*

*Chriſtus FLOS eſt.*

Nec FERRO, nec FLAMMA, nec FERRO perſecutoris hominis, videlicet; Nec FLAMMA carnalis cõcupiſcentiæ, per aliquod peccatum, vnquam CHRISTVS FLOS ab eo diuelli, aut extrahi potuit, quare; dictũ illud, quod de iniquorum duritia, & obſtinatione. Zach. 7 dicitur;

*Zach. 7.*

b

tur; *COR ſuum poſuerunt, vt ADAMANTEM*, de glorioſi CAROLI animi conſtantia, & CORDIS firmitate dici poteſt; COR namque ſuum poſuit B.CA-

*B. Caroli cor vt Adamas.*

ROLVS, vt ADAMANTEM, dum viriliter omnibus inimicis tum ſpiritualibus, tum corporalibus reſtitit; quare dici poteſt quod ſit ADAMAS ille in manu Domini, quem Amos cap 7. vidit, dicens; *Vidi Dominum ſuper murum Adamantinum, & in manu eius ADAMAS.*

*Viſio facta Amos.*

Per murum hunc Adamantinum, Sanctorum cętum intelligendum eſſe, D. Hieronymus ſuper hoc loco, teſtatum reliquit, dicens; Hi enim lapides ſunt, ſimul coniuncti, per charitatem (de Sanctis enim eius Sermo erat) radiantes per doctrinam, ob meritum diuites, ac ob eorum interceſſionem parietes ſunt, & Adamantes propter fortitudinem in ſuſtinendis pro CHRISTI amore huiuſce ſæculi perturbationibus, & ærumnis. Super hunc murum igitur, ideſt ſuper Sanctorum cœtum ſedere Dominum, Propheta teſtatur. *Et in manu eius ADAMAS* (ſic ipſe ſubdit) ADAMANTEM hunc, (vt diximus) B. CAROLVM inter cæteros fuiſſe, nō incongruè explicare poſſumus, qui CHRISTVM FLOREM in eius CORDE incluſum ſic tenebat, quòd nulla potentia humana, per perſecutionum varia genera, nec Diabolica, per multos tentationum ictus, ipſum è CORDE ſuo per peccatum, euellere potuit, adeo quod præſumpti THEMATIS verba, meritò cum Apoſtolo dicere poterat;

*Viſio Amos facta declaratur.*
*Sancti lapides ſunt.*

*Adamas in manu Domini B. Carolus fuit.*

Quis nos ſeparabit a CHARITATE CHRISTI? Tribulatio, an &c. ſed in his omnibus ſuperamus, ſeu vt D. CHryſoſt. legit; *Pluſquam ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos:* Non ſolum Sancti ſuperabant tormenta, ſed pluſquam ſuperabant, nam cum facilitate, & voluptate, omnia pro CHRISTI amore ſuſtinebant; ita quòd, in feris manſuetudinem; in ferro, virtutem; in igne, rorem, & in morte, vitam æternam inueniebant; Immo myſticus iſte ADAMAS, ideſt S. CAROLI COR in manu Domini, maiorem, ac ſolidiorem virtutem ſe habere oſtendit, dum perſecutionū, & contumeliarum inſtrumētis, FLOREM CHRISTVM, ab eo extrahere nitebantur quamplures,

*D. Chryſ explicat Apoſtoli ſententiam.*

*A B. Caroli corde, flos Chriſtus, nil quam extra hi potuit.*

plures, ſic per amorem cum eo erat colligatum, adeo quod ſeparari vix poterat. Nec mirum eſt, nam ipſa charitas, ſibi tanquam vinculum erat, quo CAROLI COR, CHRISTO erat vnitum, iuxta Apoſtoli dictum ad Coloſs. 3. *Super omnia autem charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Vis enim diuini amoris, quæ in CORDE glorioſi CAROLI vigebat, tanta erat, quòd cum nulla alia virtute erat comparanda, adeo quod vna cum D. Auguſt. dicere poterat CAROLVS; Amor meus, pondus meum, amore feror, quocunque feror: Quemadmodum enim ſaxum magnum ex altiſſimo monte, pondere ſuo ruens, omnia quæ in via reperit, arbores, lapides, oues, boues, aut alia id genus, ſecum rapit; nihil enim eſt, quod eius deſcenſum impedire queat, & hæc eſt cauſa, nam eius immenſum pondus, quò fertur, omnia, quæ ei occurrunt obſtacula, euertit. Ita ſanè Amor meus (ſic dicere poterat CAROLVS, pondus meum, quia Amor meus erga DEVM, omnia vincit, omnia ſuperat, omnia ſuis viribus imparia, & inferiora putat; nihil enim tam arduum, & difficile mihi occurrere poteſt (ſic dicebat CAROLVS, quod amoris propenſione, & pondere non ſequatur. Pœnitentia dulcis mihi videtur; Ieiunium ſuaue; Mundi contemptus facilis; iter cœli planum, & denique nihil eſt ex his, quæ ad Dei ſeruitutem ſpectant, in quo moleſtiam aliquam ſentiam; ideo cum Apoſtolo ſæpè ac ſæpius clamabat; *Quis me ſeparabit à charitate CHRISTI? Tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit me ſeparare à Charitate DEI, quæ eſt in CHRISTO IESV Domino noſtro.* Nam Amor ipſius CHRISTI, vires mihi tribuit, vt in his omnibus ſuperem, & victoriam conſequar; quemadmodum certus ſum, quòd vires meæ, de ſe, ad huiuſmodi præſtanda non ſufficiunt; diuino auxilio igitur mediante, nunquam CHRISTVM a CORDE meo ſeparari permittam, donec in gloria, eius diuina eſſentia frui mihi licebit.

*D. Auguſt.*

*Simile.*

*Applicatio.*

*B. Caroli verba ſæpius repetita cũ Apoſtolo.*

# DE CORDIS QVIETE IN DEO.

*ARGVMENTVM.*

COR de ſui natura inquietum cum ſit illud in iugi Crucifixi meditatione, qui etiam tenuit ſemper B. CAROLVS.

## SYMBOLVM.

*Hominis manus, ACCIPITREM ligatum tenens, & ab ea aufugere volens,*

Cui ſi cruentæ carnis fruſtulum oſtenditur, illicò quieſcit.

## NOEMA.

## EX INTVITV QVIES,

## THEMA.

*Tibi dixit COR meum, exquiſiuit te facies mea; faciem tuam DOMINE requiram.*
Pſal. XXVI.

DE-

# DECLARATIO.

COR præcipuum inter viſcera noſtra, vitæ ſedes, quo, homo regitur, & in medio noſtri diſpoſitũ, liquido conſtat; quamuis magis ad ſiniſtrã, quàm ad dexteram flectere videatur, cum tamen experientia duce, ſpiritus, qui ſubtiliores ſunt, & operationes vitales, plus ad dexteram, quam ad ſiniſtram influant, quare, dexteram partem in nobis fortiorem, & ad operandum magis validiorem eſſe, in dies experimur, quod ſi aliter accidat id ob naturæ defectum, non autem, quod naturaliter eueniat, certum eſt.

*Cor in medio corporis diſpoſitum.*

*Hominis dextera validior, cur.*

Hic inquam de cauſſa CORDIS noſtri Animam ſic diſpoſuit DEVS, quæ corpori huius coniuncta cum ſit, & hiſce rebus terrenis conſociata (hæc enim læuam partem innuit) tamen, cum omnium virtutem ſuam ad cœleſtia, vbi CHRISTVS eſt, & ſedet ad dexteram DEI Patris Omnipotentis, effundere debeat, hinc eſt, quod homo COR in medio corporis habet diſpoſitum, cuius virtus magis ad dexteram, quam ad ſiniſtram ſe extendit, vt per hoc cognoſcatur, quò magis ad æterna, quàm ad temporalia bona eſt inclinatus, & ſi ſecus accidit, tunc naturæ defectus eſt & monſtrum.

*Homo cur habet cor in medio corporis.*

A quo defectu ſe prorſus alienam manifeſtare volens ſponſam, dixit Cant. 2. *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* ac ſi dixiſſet. Terrena hæc, quæ Dei ſponſi ſunt, hæc inquam ſub capite meo collocata ſunt, nam parum nihilve a me æſtimata ſunt, ſed illa, quæ cœleſtia ſunt, Deique dexteram innuunt, a me ſummo deſiderio amplectuntur, totumque COR meum ſic ambiunt, quod de nulla alia re cogitare intendo.

*Sponſa verba explicantur.*

Cum igitur COR noſtrum, ſeu ad cœleſtia, ſeu ad terrena hæc meditanda, iugiter ſit intentum, illud molendinario perſimile eſſe dicere poſſumus, aquarum copia maxima irrigato, adeo quod molendinarius ipſe, efficere non poteſt, quin pro ingenti aquarum copia, iugiter moueatur, cui tamen pro libito frumentum, ſeu ſiliginem, ſeu zizaniam ſupponere poteſt. Quod ſi zizaniam poneret, eam inquam (quando ei placet) ſubtrahere poteſt, ac bonum granum ibi ponere, prout è contra. Hoc

*Cor noſtrũ molendinario ſimile eſt.*

b 3 idem

764



*Applicatio.* idem de humano CORDE dicere poſſumus, nam aquarũ copia diuerſarum curatum, quæ iugiter illud circum circa ambiunt, mouetur; nec, vt per paruum temporis ſpatium fieri poteſt, vt conſiſtat; Quod ſi malarum cogitationum zizania ſuppoſita ſit, diuina gratia mediante (quæ omnibus ſeſe diſponentibus preſto eſt) illam auferre poteſt, & bonarum meditationum granum ibi ponere, nam iuxta CORDIS noſtri cogitationes, quæ pro libito apponi poſſunt, ſic ex eis bonæ, vel malæ cogitationes in nobis superueniunt; Ita ſuper Pſalm. 40. Caſsiod. teſtatum reliquit, dicens; *Caſsiod.* Vis ſcire de fratre tuo, vnde COR habeat? attende, vnde libentius, & frequentius loquatur, & operetur; imò ipſamet æterni Patris ſapientia Math 6. dixit; *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt, & cor tuum.*

*B. Caroli cor ad Deũ dirigebatur* Vbi nam B. CAROLI COR dirigeretur, ac quænam eius eſſent negotia, ac potiſsimum, cum MEDIOLANENSEM eccleſiam, quam in ſponſam ſibi elegerat, haberet; ex iam dictis in noſtro THEATRO ſpir. pluribus in locis, perſpicuum apparet, adeò quod; quamuis eius COR a natura, & ipſum inquietũ eſſet, ac volubile, D. Auguſtino teſte; *D. Auguſt* Feciſti me Domine ad te, & inquietum eſt COR meum, donec requieſcat in te; illud tamen cum Deo vinculatum ferè ſemper tenuit, quare non eſt inconueniẽs SYMBOLVM a nobis proſperitate hac cõprobanda, propoſitum, de ACCIPITRE, in hominis manu vinculato.

*Accipitris natura.* Eſt enim ACCIPITER, auis quædam venatica, quæ cũ in manu tenetur, quouis leui ſtrepitu audito, illicò auolare, & aufugere nititur, adeo quòd vinculis, ac compedibus cũ ligatum tenere, eſt neceſſe, quod ſi aliquando fractis compedibus fugam capiat, carnibus cruentis illico reuocatur. *Accipiter quomodo reuocatur.* Hoc idem de CORDE noſtro dicere poſſumus, quod nos facillime derelinquit, qua de cauſa Iſai. 46 clamabat; *Redite præuaricatores ad COR*, & Regius Pſaltes, propter peccatum ab eo patratum, clamabat; *& COR meum dereliquit me.* *Cor noſtrũ, quomodo frenare poſſumus.* Mortis timore igitur, & CHRISTI amore COR noſtrum refrenare oportet, cui ſi carnem humanitatis Verbi in Cruce, pro totius mundi ſalute, cruentam per deuotam meditationem oſtendatur, illico quieſcit.

Hoc inquam modo CAROLVS glorioſus, COR ſuum à natu-

à natura, & ipſum inquietum, vinculatum tenuit ſemper, mortis timore potiſſimum; qua de cauſa, nulla de re, maiore cum animi ſenſu loquebatur, quàm de morte, peregrinatione, & exilio, & de hoc indubiam fidem preſtat Illuſtriſſimus & Reuerendiſs Card. Auguſtinus Valerius, Veronæ Epiſcopus, vir omni virtutum genere cumulatiſſimus, quẽ in amicorum ſuorum numero, ante annos viginti duos collocauerat, qui in vita ipſius CAROLI, ab ipſo conſcripta, teſtatum reliquit, in familiaribus ſermonibus, quos ſecum habebat, hilari admodum vultu, fatebatur CAROLVS, ſibi nihil quicquam iucundius, & vtilius in hac vita accidere poſſe, quàm ſi hac illacq; negotiorum cauſa tranſiens, in cadauera, quæ ad ſepulturam deferebantur, incideret. Inde ſe maximum fructum capere affirmabat. Secum enim ipſe ſic loqui conſueuerat. Et me etiam quatuor, aut quinque cubiti terræ manent, & ipſe in illo loculo deferor. Hoc inquam vinculo CAROLVS glorioſus, ACCIPITRIS CORDIS ſui pedem alterum vinculatum tenebat; Alterũ vero, Amoris CHRISTI vinculo ligatum ſic tenuit, quod nullo modo aufugere poterat, & de hoc ſæpè, ac ſæpius in noſtro THEATRO ſpir. diximus. Quod ſi aliquando per aliquod veniale peccatum CORDIS ſui ACCIPITER auolare, & aufugere nitebatur, (nam ſepties in die cadit Iuſtus) confeſtim, nullaq; mora interpoſita, CHRISTI carne in Cruce cruenta per meditationem, & vt plurimum etiam corporeis oculis in eo defixis, COR illius ſic conſiſtebat, quòd dicere poterat, vt NOEMA habet;

*B. Carolus cor mortis timore quietum reddebat.*

*Illuſtriſs. Card. Valery. teſtamonii graue.*

*B. Caro'us de morte libẽter loquebatur*

*B Caroli cor Amore erga Chriſtũ immaculatum curat.*

*B Caroli remediũ ad ren cauum eius cor.*

Ex INTVITV, QVIES, nam Regij Pſaltes doctrinã adamuſſim CAROLVM obſeruaſſe, non eſt cur in dubiũ reuocetur, dicentis Pſal. 136. *Beatus vir, qui allidet paruulos ſuos ad petram.* Hi paruuli, primi motus ſunt, ſeu primæ Diaboli ſuggeſtiones, Hoſce inquam paruulos, ad petram CHRISTVM allidebat CAROLVS glorioſus, per iugem CHRISTI crucifixi meditationem, quare merito, vt in præallegato THEMATE, CHRISTVM alloquentem dicere poterat;


*Dauidis verba explicãtur.*

*Tibi dixit COR meum, exquiſiuit te facies mea, faciẽ tuam Domine requiram.* CORDIS cogitationes, ſunt ipſamet verba; adeo enim CAROLVS glorioſus CHRISTO,

770,



*Cor B. Caroli Deo proximum.* per amoris vnionem, propinquus erat, quod cogitationibus, illum alloqui poterat, quotieſcumque volebat, quem ſemper in CORDE geſtabat. *Vice tui* (explicat Pagninus) *Pagninus.* *dixit COR meum*, ſeu vt Tigurina habet; *O vultus mei, quærite illum*. Ac ſi dicere voluiſſet CAROLVS, cum ipſo *B. Carolus Chriſtum alloquitur.* CHRISTO loquens. Non enim ſat eſt ad famem meam pellendam, quod Animæ meæ vultus ſolus, te reſpiciat; ſed oculi hi carnei languent, & oris mei labia iam conſumpta ſunt, ob ſitim, quam habent, vt in illo diuinarum gratiarum fonte vberrimo bibant, Qua de cauſa, & ipſe Apoſtoli verba, ſæpiſſimè proferebat; *Cupio diſſolui, & eſſe cum CHRISTO*, in quo ſolo, vera quies eſt, vita, & Reſurrectio noſtra, & tunc *ſatiabor cum apparuerit gloria eius.*



ANA

# ANATOMIAE.

id eſt

# DISSECTIONIS

## SPIRITVALIS IN GENERE.

## Secunda Pars.

## GLORIOSI CAROLI CORDIS

Memoriam, Intellectum, & Voluntatem erga DEVM manifeſtans.

# DE MEMORIÆ POTENTIA.

*ARGVMENTVM.*

CRISTVM, & hunc crucifixum,
iugiter ante mentis oculos,
(& vt plurimum)
etiam ante corporales habebat,
Illoſque in eius plagis defixos, tenebat
CAROLVS glorioſus.

## SYMBOLVM.

*APIS, quæ ex THYMO depaſcitur,
ex quo mel dulce poſtea efficit.*

## NOEMA.

## ETIAM EX AMARO.

## THEMA.

*Et meditatio CORDIS mei in conſpectu
tuo ſemper.*
Pſal. XVIII.

DILV-

# DILVCIDATIO.

CVM homo ad Dei imaginem creatus ſit, in quo ipſemet DEVS ſuam etiam expreſſit ſimilitudinem, vt ſe ipſum intuens, factoris ſui neceſſario recordaretur, & in illius veniret cognitionem; quod ſanè deſiderium DEVS Cant.8.expreſſit, dum animam ſpõſam alloqueretur, dicens; *Pone me, vt ſignaculum ſuper COR tuũ, vt ſignaculum ſuper brachium tuum;* Ac ſi dicere voluiſſet; fac vt mei ſemper memoriam teneas, nec vnquam mei obliuiſcaris; nam vt Gloſa habet; tunc ſolemus ſignum aliquod digito, vel brachio alligatum circumferre, quo admoneamur illius rei, cuius frequentiorem memoriam habere volumus. Cui explicationi Chaldaica Paraphraſis concordat, dicens; Pone me, vt ſculpturam annuli, ſuper COR tuum, & ſuper brachium tuum. Verum, Memoria hæc, quam de Deo habere debemus, vt eum toto CORDIS affectu diligamus, ordinata eſſe debet, alioquin talis Memoria, & recordatio culpabilis eſſe poſſet. Quid enim Dei recordatio, eiuſque Memoria nobis prodeſſe poteſt, ſi illũ non amemus? ſi totis viſceribus, illum non diligemus? ſi eius præcepta non obſeruabimus? Talis Memoria, obliuio potius (ne dicam contemptus) dicenda eſt, cum pro gratia, culpam, pro beneficio, offenſam; & pro bono, malum Deo conferamus; eò magis cum paſſio in nobis contra rationem ſic præualet, quod Deum, a quo tot, ac talia accepimus beneficia, nos verò pro vili voluptate paſſim illum offendimus. Quare ſi beneficia, nil aliud ſunt (vt vulgo dicitur) quam voluntatis compedes, & veluti aureæ catenæ, quibus amicus trahitur, ſumma admiratione dignum eſt, quòd nos, tot tantiſq; ab eo cumulati beneficiis, creatione inquam, Redemptione, Iuſtificatione, & aliis innumeris, tamen animus noſter non deuinciatur.

*Homo cur ad Dei imaginem factus.*

*Dei deſiderium erga nos.*

*Paraphr. Chaldaica*

*Memoria erga Deum ordinata eſſe debet.*

*Beneficia voluntatis copedes ſũt.*

Non ſic B. CAROLVM ſe erga DEVM præſtitiſſe, liquidò conſtat, qui beneficia a Deo accepta, iugiter in mente reuoluens, (eſt enim Memoria, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt) mentis oculis, & vt plurimum, etiã corporeis, in CHRISTO crucifixo defixis, veluti ac ſi ipſi ſoli illud Cant.2.dictum fuiſſet; *Veni in foraminibus petræ in ca-*

*B. Carolus beneficiorũ Dei non immemor. Memoria quid.*

*uerna*

*uerna maceriæ;* ob id vulnera illa, quæ CHRISTVS in paſſione ſua ſuſtinuit, iugiter meditabatur CAROLVS glorioſus. Petra enim hæc, in qua foramina illa erant, CHRISTVS eſt, de quo dicitur; *Petra autem erat CHRISTVS.*

*B. Caroli meditatio ad Chriſtũ.*

Quemadmodũ muros etiam, ipſamet æterni patris ſapientia increata eſſe dicitur, Iſaia teſte, c 26. *Ponetur in ea murus, & antemurale.* In hiſce foraminibus igitur, ideſt in crucifixi plagis manuum, ac pedum, nec non in pectoris cauerna (vt D. Gregorius exponit) CORDIS ſui cogitationes, hoc eſt Memoriam ſuam dirigebat CAROLVS glorioſus, ex quibus, vt in SYMBOLO;

Tanquam APIS ex THYMO, per continuam meditationem, ſpiritualis conſolationis, mel dulciſſimum exhauriebat.

*Apis quid ſit.*

Eſt enim APIS, animal quoddam paruum, diuerſa florum genera depaſcens, quibus concoctis, mel ſapidiſſimum poſtea conficit. In prato quidem militantis ecclesiæ, diuerſa florum genera reperiri, dubium nõ eſt. In ea enim; Roſæ Martyrum; Violæ Confeſſorum, & Lilia Virginum conſpiciuntur.

*Anima B. Caroli tanquã Apis, virtutũ flores deguſtabat.*

Beati CAROLI anima, veluti APIS, & ipſa fuit, quæ per deuotam meditationem; de Roſis Martyrũ; conſtãtiæ, & magnanimitatis florẽ colligebat, adeo quod; potentum minas non timuit, eorumq́, audaciam viriliter confregit; De Confeſſorum violis; ſobrietatis, & temperantiæ florem euellebat, qui per tres annos, antequã ex hac vita migraret, pane, & aqua ſæpiſſime contentus fuit. De Lilijs Virginum; continentię, & caſtitatis florem deprompſit, qui perpetuam, & Angelicam quandam caſtimoniam ſemper coluit, quippè qui in nullam, vel minimam incontinentiæ ſuſpitionem incidit vnquam. Verum enimuerò, nõ horum florum dulcedinem ſolum APIS hæc myſtica deguſtabat, ſed THYMVM, omni amaritudine plenum, ſæpe ac ſæpius depaſcebat;

*Thymus amarus eſt, & Chriſti paſſionẽ innuit*

qua de cauſſa, nõ ſemel TAVRINVM pedibus etiam aliquando, iter confecit, vt ſanctum LINTEVM veneraretur, quo Saluatoris noſtri mortui corpus fuit inuolutum, profectus eſt; ſed & illa ſancta itinera, & extremum illud, quod morti proximus ſuſcepit CAROLVS, vt ſacroſancta paſſionis CHRISTI myſteria in mõte VARALLO meditaretur;

*Varia B. Caroli itinera.*

Quo in loco, febri correptus, mortem minime extimeſcens; MEDIOLANVM

ferè

ferè ſemiuiuus, cum rediſſet, antequam Medicum ad ſe admitteret, genuflexus, forti animo in ſolito Oratorio, longam habens orationem, eum in lecto decubuiſſet, vt Medicis, ac proprio Confeſſori obediret, eundem ſacris imaginibus ornandum iuſſit, in quibus potiſſimum, paſſionis CHRISTI myſteria erant depicta, ac in primis, oculis in ſacro ipſius Saluatoris ſepulchro defixis, etiam in illa extrema hora, ex illo THYMO amaro, maximam Mellis, compunctionis, & diuotionis quantitatem, collegit APIS CAROLVS.

*B. Caroli deuotio in fine vitæ ſuæ.*

Animal mundum APIS eſt, ait Ariſt. lib de Hiſtor. anim Quaſi APIS tantam habuit CORDIS munditiam glorioſus Antiſtes (vt ſuperius diximus) quod dum ex, hoc præſenti ſæculo migraret, dicere potuit; *Nullum in morte nefas*. Mel ore euomunt in cellas APES, ſic CAROLVS doctrinæ, & ſapientiæ mel dulciſſimum in tanta quantitate eructauit, quod ſuis ſanctiſſimis inſtitutis, militantem Eccleſiam (ne dicam Mediolanenſem) ornauit, & auxit, prout ex magno libro, qui Acta Eccleſiæ Mediolanenſis inſcriptus eſt, manifeſte apparet, in quo ea omnia, quæ ad DEI cultum, ad reformandos mores, ad eliminanda vitia, & ad virtutes acquirendas ſpectant, fusè pertractatur; quæ ferè omnia exemplo comprobare ſtuduit, quare; tanquam APIS, quæ mellis fauos ex floribus conficit, dicere potuit; *Vt alÿs proſim*. A ſomno matutino excitantur APES, quæ omnes illico ad opus petuolant; nec aliquod tempus certum eis eſt, quo operari incipiant; & vigilantiſſimus Paſtor, præter nocturnas orationes, quas nunquam prætermittebat, matutino tempore, cum Metropolitanæ Eccleſiæ ſuæ Canonicis ordinarÿs, cæteriſque Presbyteris ad DEVM laudandum, & ipſe aderat ſemper, quare horis canonicis abſolutis, Miſſaque ab eo celebrata (quam nunquam prætermittere conſueuerat) ad opus arduum, gubernandi gregem ſibi commiſſum, totis viribus incumbebat, nec ad quietem ſe dabat (corporis neceſſitate ſic exigente, quæ per quam breuiſſima erat) quin prius ſingulis diebus, primum in Oratorio, deinde in cubiculo, prolixam ad DEVM haberet orationem,

*Apis proprietates permultæ B. Carolo conueniunt.*

*Apis munditia.*

*Apis mel conficit.*

*Apis vigilantia.*

adeo, quod dicere poterat APIS eſt myſtica, ad DEVM conuerſus; *Ore, ac manibus*. Cum vehementi flatu iactantur APES, lapillum quærunt, illumque geſtant, quo, quaſi fulcro quodam contra ventum ſe ſtabiliunt. Et miles glorioſus CAROLVS, tribulationum, ac perſecutionum flante vento, CHRISTVM lapidem in CORDE iugiter deferens, nunquam ab eis ſuperari potuit, vnde dicere poterat; *Hoc munitus, tutus*. Demum (vt alias APIS proprietates ſilentio præteream̄us, ipſi Antiſtiti admodum conuenientes, duas Ariſt. loco ſupra citato commemorat) ne à noſtro inſtituto recedamus, dicendum eſt, quod APVM cibus, vt plurimum THYMVS eſt, prout ipſemet Ariſt. ibidem aſſerit, qui licet in ſe amariſſimus ſit, tamen ex illo depaſta, illud in dulciſſimum mel conuertit. Hoc idem B. CAROLVM præſtitiſſe, affirmamus, qui ex THYMO amariſſimo plagarum CHRISTI, quas iugiter meditabatur, COR ſuum melle dulciſſimo meditationis ſic alebat, quod vna cum Regio Pſal. dicere poterat; *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te*, quare vt NOEMA habet, dicere poterat;

*Apis prudentia*

*Apis cibus.*

ETIAM ex AMARO. Ex amaro inquam, nam dùm ad memoriam reuocabat CAROLVS Beatus, ea, quæ pro totius mundi Redemptione CHRISTVS paſſus erat, præ intimo CORDIS ſui dolore, lachrymas in magna copia effundere ſolebat: At eodem inſtanti, memoria tenens, quam copioſa apud DEVM erat Redemptio, qua mediante fidelibus, cœleſtis gloria parata erat, ſic oblectabatur, quod incredibili lætitia perfundebatur, quare non immeritò, præaſſumpti THEMATIS verba dicere poterat;

*B. Caroli memoria erga Christi paſsionē.*

*Et meditatio CORDIS mei in conſpectu tuo ſemper.* CORDIS meditationem immediate puritas conſequitur; etenim in CHRISTI plagis CAROLI Memoria ſemper erat defixa, dum ipſum DEVM pati, per ſeinnumerabilia ſuſtinuiſſe tormenta, vt eius COR ab omni peccatorum macula ablueret; vt humilitatem, obedientiam potiſsimum, virtutesque omnes illum doceret; vt Diaboli poteſtatem tolleret; vt cœleſtem gloriam eis pa-

raret,

raret, & id genus alia. Quæ omnia, cum ad Memoriam reuocabat CAROLVS, ſic eius COR inflammabatur, quod cum Pſal. dicere poterat; *Et in meditatione mea exardeſcit ignis.* Ad hanc myſticam APEM, vt eius veſtigia ſequamur, & nos confugere debemus, ſapientis conſilij memores Prouerb. 6. dicentis; *Vade ad APEM, & vide, quàm ſit operoſa cuius labores, & Reges, & Idiotæ ad ſanitatem aſſumunt; deſiderabilisq; eſt omnibus, & illuſtris.*

*Exhortatio ad Apē myſticam ſequendam.*



DE

# DE INTELLECTVS POTENTIA.

## *ARGVMENTVM.*

A natura, ſublime duxerat ingenium CAROLVS ſapientiſſimus,

*Adeò quod, inter tot ignorantiæ tenebras, quæ in Dei Eccleſia irrepſerant, ipſe tanquam ſydus fulgentiſſimum doctrinæ ſalutaris lucem magnam attulit.*

## SYMBOLVM.

LVCERNA piſcis qui maris aquas ſupernatans, ab ore lucem emittit, qua noctis tenebras illuminat.

## NOEMA.

FVLGET IN TENEBRIS.

## THEMA.

*Attendentes tanquam* LVCERNAE *lucenti in caliginoſo loco donec dies eluceſcat.*

2 Pet. Cap. 1.

DILV.

# DILVCIDATIO.

HANC reperiri differentiam inter INTELLECTVM, & voluntatem, docent Philoſophi; ꝙ voluntas ſua actione, ad res, quas diligit, fertur; Intellectus verò, vt nobilior, res intellectas, per ſpeties intelligibiles ad ſe trahit, vnde ſequitur, ꝙ res, quæ in intellectu ſunt, cum ab illo percipiuntur, ipſimet intellectui (ſicut aqua vaſi eam recipienti) proportionantur; Atq; hinc fit, ꝙ res hæ inferiores ab intellectu, cum ipſum intrant, ſuper illud, quod natura ſua ſunt, eleuari: Qua de cauſſa Ariſt. dixit; Lapis melius eſt in intellectu, quam in ſeipſo; nã materialiter in ſe eſt, in intellectu vero ſpiritualiter, per ſpetiem intelligibilem. Res vero, quæ ipſo intellectu altiores ſunt, vt illu intrent, deſcendere debẽt, quare multum perfectionis amittunt, quoniam intellectui (qui inferior eſt) proportionari debent, adeò quod; id quod intellectus rebus hiſce inferioribus addit perfectionis, eas eleuans; hoc ſuperioribus adimit, eas deprimens. Conceptum hunc D. Greg. in hom. innuit, dicẽs. Antequam rem terrenam, & caducam haberes, ſummo eam in pretio habuiſti, ſummè deſideraſti, quia intellectus eam eleuauerat; At eam cum adeptus es, deſpicis, & cito faſtidis, & vides non eſſe tantum bonum, quantum antè tibi apparuerat, quia eã, vt in ſe eſt, iam tenes, & guſtas, in ſe verò inferior multo eſt, q̃ cogitaueras. In ſpiritualibus aũt contra cõtingit. Depreſſerat eos intellectus, ideò non tantas credebat eſſe, nec eas obnixè deſiderabas, ſed cũ eas experiris, multo pretioſiores vides, q̃ putaueras, quia eis ipſis frueris, vt in ſe ſunt, & tunc illud adimpletur, quod Eccl. 24 ſcriptũ eſt; *Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Hiſce præmiſſis, liquidò conſtat, cur homines cœleſtia ſic paruifaciunt, ꝙ vix ad ea intelligenda animum adijciunt, & ratio eſt, quia illa non deguſtauere, & hæc eſt vna ex maioribus perſecutionibus, quibus Diabolus nos perſequi nititur, dum efficit, vt cęleſtia ignoremus, illorumq; obliuiſcamur, cum ad ea conſequenda a DEO plaſmati ſimus, totumq; noſtrum ſtudium ad terrena hæc intelligenda, & acquirẽda animum conuertamus, vt terrena ſolũ ſapiamus.

*Differentia inter intellectum & voluntate.*

*Ariſtot.*

*Intellectus quo recipit res ſpuales.*

*D Greg. de eterna.*

*Homines cur cæleſtia paruifaciunt.*

*Diaboli aſtutia aduerſus hominem.*

710



*D. August.*

Qua de cauſa D. Aug ſuper illud Pſal. 142. *Quoniam perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terra vitā meā:* Spiritualiter, dictum hoc exponens, & per inimicū hunc, Diabolum intelligens, ait; Quid enim nobiſcū agit quiſquis perſequitur, niſi; vt relicta ſpe cœleſti, terram ſapiamus, perſecutori cedentes, terrena diligamus?

*Diabolus inimicus noſter.*

*Beatus Carolus ingenio ſublimis.*

Huius præclaræ doctrinæ non ignarus ſapientiſſimus CAROLVS, qui ingenio admodum valebat, iudicioque multum excellebat, vt INTELLECTVS ſui potentiam, ad cœleſtia inquirenda omni ex parte conuerteret, prius; dum adoleſcens erat, Ticini aliquot annos iuri Ciuili, & Canonico operam cum dediſſet, vigeſimum tertium annū agens, in ſacrum Cardinalium collegium ab auunculo cooptatus, ſanctæq; Apoſtolicæ ſedis negotia præcipua, maxima cum prudentia, egregia fide, ac ſingulari diligentia tractans, adeo q̄ virtutū omnium exemplar erat, non prætermittebat, quin aliqua noctis pars, in optimarū litterarū ſtudijs cum doctis viris, & intimis nonnullis familiaribus, ingenij acumine præſtantibus, collocaretur, adeo q̄, nihil tēporis diurnis negotijs non detrahebatur, ſed ſomno, ac quieti, quare & noctes Vaticanas illas appellari voluit. Quo in loco, vt INTELLECTVS ſui potentia magis perficeretur) quæſtiones quędam ciuiles tractabantur, in quibus non minimum ſtudium adhibebatur, acuebatur ingenium, facultatem dicendi vnuſquiſq; ſibi cōparabat: At acerba, & immatura FEDERICI fratris morte ſequuta, ab eo tempore, ad mortem perpetuò meditādam, & ad cęleſtia ſola inquirenda, INTELLECTVS ſui potētiam conuertit, quare in Vaticanis noctibus, nō quæſtiones amplius è Philoſophia deſumptæ tractabantur, ſed ſententiæ quædam graues, a ſacroſanctis Euangelijs depromptæ, copioſè, & eleganter explicabantur. Illæ in primis, quas CHRISTVS de vera Beatitudine, & cœleſti gloria ſententias planè grauiſſimas ore ſuo protulit. Quam dicēdi exercitationē, ad hunc viſum inſtituerat ſapiens CAROLVS, tanquam vmbratilem quandā pugnā, vt MEDIOLANI (cuius Eccleſiæ ARCHIEPISCOPVS iam creatus erat) deindè promptior iam, atq; inſtructior, ad gregem ſibi cōmiſſum, ſermonē haberet, quare, ſermones tres, & quatuor eodem

*B. Carolus vita ſeries inquirur.*

*Studium B. Carolus mutat.*

eodem die ad populum habuit poſtea, cum nihil ferè repeteret. Tabulas innumerabiles, quibus tractationes de fidei Symbolo, de decem Præceptis, de Oratione Dominica, de CHRISTI paſſione, deq; ſingulis ſacroſanctis myſterijs, in oẽs ſolemnitates, in omnia et Euangelia, quæ diebus feſtis recitãtur, in Epiſtolas Pauli confecit, aliaq; quãplura, ad cœleſtia conſequenda INTELLECTVS CAROLI manifeſtauit, adeo ꝙ vt in SYMBOLO dicitur;

*B. Carol. diligentia circa ſpiritualia.*

Tanquã LVCERNA piſcis de quo Plin. li. 10 refert, qui maris aquas ſupernatans ab ore lumẽ emittit, quo mediante noctis tenebræ fugantur; ſic CAROLVS glorioſus, INTELLECTVS ſui potentiam, lumine fidei habẽs illuſtratam, huic Piſci ſimilem fuiſſe affirmamus, nam duabus alis (quemadmodũ & Piſcis LVCERNA) eius INTELLECTVS erat exornatus, quibus mediantibus, propè mare diuinæ eſſentiæ, ac myſteriorum ſublimium ſæpiſſimè peruolabat, adeò ꝙ, de eo illud Pſal. 76 adimpleri certum eſt; *In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur*, nam a B. CAROLI ore charitatis, & ſalutaris doctrinæ flamma, quæ in CORDE eius latitabat, veluti à piſce LVCERNA, egrediebatur, quæ omnes malitiæ, & ignorantiæ tenebras expellebat, vndè meritò de eo dici poterat, vt NORMA habet.

*Lucerna piſcis, eiusq; natura.*

*Applicatio ad B. Caroli intellectum.*

*Pſal. 76.*

FVLGET IN TENEBRIS. Nemini dubium eſt, ꝙ antè Concilij Tridentini celebrationem, multæ ignorantiæ tenebrę militantem Eccleſiam repleuerant, quod pręclarũ, & heroicum opus iam diù cęptum, vt abſolueretur, nihil maiore ſtudio, aut diligentia apud Auunculum Summum Pontificem contendebat CAROLVS; Quo peracto, omnibus viribus adhibitis, vt ſeruaretur, & quicquid in eo ſancitũ erat, adimpleretur, omni ſtudio curauit; vndè, viuente adhuc Auunculo, magnis precibus ab eo impetrauit, vt MEDIOLANVM, ad Prouinciale Concilium celebrandum, pro ipſius S. Concilij executione, accedere ſibi liceret; ꝙ, & obtinuit; in quo quidem Prouinciali Concilio, pręclariſſima, & ſalutaria decreta, quibus, DEI cultus potiſſimum, & animarum ſalus prouenìebat, ordinauit; quare, veluti LVCERNA ardens, non ſolum in hoc, ſed in toto vitæ ſuæ curriculo, lucem doctrinæ, ac ſapientiæ

*B. Carolus ſtudium vt Conc. Trid. abſolueretur.*

*B. Carolus Mediolanũ petit ad Cõcil. celebrãdum.*

 maxi-

maximam protulit, quippè qui, vſq; ab ineunte ætate, veram ſapientiam adinueniſſe certū eſt, de quo illud Sapientiæ dictum cap. 6. adimpleri certum eſt, & in eius Miſsæ introitu legitur; *Qui manè vigilat ad illam* (ſcilicet ſapientiam) *non laborabit.* CAROLVS enim in ſua adoleſcētia quęrere cępit eam, & tanto deſiderio eam; conſequendi flagrabat, quod labores non ſentiebat, ita q̀ ferè inſenſibilis videbatur. Sapientiam ergo inuenit CAROLVS, qui oēs Sapientiæ libros reuoluit, ac ſtuduit, in eiſq; maximū progreſsum fecit Ac primo in conſcientiæ ſuæ libro, per vitiorum extirpationem, & virturum plantationem ſtuduit CAROLVS beatus, & ex hoc apparet, nā ſuperbiam eradicauit, & humilitatem plantauit (quam in ipſiſmet propriæ FAMILIÆ INSIGNIBVS tenet) cuius in CORDE radices fixas habebat. In libro ſcientię per paſtoralis officij plenam, & exactam cognitionem, toto vitę ſuę tempore ſtuduit CAROLVS, qui omnium Epiſcoporū vera idea nuncupari poterat. In libro vitæ (ſcilicet in CHRISTO) totum eius ſtudium ponebat CAROLVS, & inde ſpirituales delitias, & cœleſtes delectationes iugiter hauriebat. In libro gratię itidem CAROLVM ſtuduiſse certū eſt, qui intus, innumeris virtutibus, & foris honeſtis moribus decoratus erat, de quibus in prima Parte noſtri THEATRI SPIRITVALIS aliqua diximus, a quo nunquam mentis ſuę oculos auertit, donec vitę curſū conſummato, ad ęternę glorię regnum peruenit.

*B. Carolus veram ſapientiam inuenit.*

*B. Carolus omnes Sapientiæ libros reuoluit.*

*Conſciētiæ liber.*

*Scientiæ liber.*

*Liber vitæ.*

*Liber gratiæ.*

DE

# DE VOLVNTATIS POTENTIA.

*ARGVMENTVM.*

Glorioſum CAROLVM, omnes VOLVNTATIS ſuæ motus, DEI mutui ſubiectos habuiſſe, manifeſtatur.

## SYMBOLVM.

## HELIOTROPIVM, quod ad SOLIS motum, illum iugiter concomitatur.

## NOEMA.

NON INFERIORA SEQVOR.

## THEMA.

Ego DILECTO meo, & ad me CONVERSIO eius. Cant. Cap 7.

# DILVCIDATIO.

INTER hominem, & alias creaturas rationis expertes, hanc eſſe differentiam, etiam ij, qui mediocriter in Sacra Scriptura ſunt verſati, non ignorant, quòd in cunctis alijs animalibus, ſola *Differẽtia inter hominem, & cętera aĩalia* naturalis bonitas reperitur, a qua nullo modo deuiare poſſunt; nam, non ex earum arbitrio, ſed potius ex Creatoris ſui virtute, pendet, quæ & inamiſſibilis eſt. At ho- *Hominis dignitas.* mo, cùm libero potiatur arbitrio, ob id, altioris capax eſt bonitatis, moralis ſcilicet, ſecundum quam, vitijs ſpretis, virtutes amplectitur, quibus mediantibus, ſuo Plaſmatori DEO aſſimilatur. Atque hinc fit, quòd inter omnes creaturas, quæ ab ipſo ſummo rerum omnium opifice acceperunt eſſe, nulla alia eſt (ipſo excepto) quæ ſuum eſſe, ac natiuam ſuam dignitatem degenerando deſerat, qui & pro- *Homo peccando Dei imaginem amittit.* priam imaginem peccando (vt D. Auguſtinus affirmat) corrumpit. Solus homo igitur, in hoc (inquam) ſolus reperitur, quòd a propria deuians dignitate (veluti Protheus) in varias tranſmutatur naturas, & hoc ex proprij arbitrij ſui oritur libertate, ſecundum quã, modo ad hanc, modo ad illam creaturam, vel ad virtutem ſectandam, vel vitium amplectendum mentis ſuæ affectu inclinatur. Eſt *Volũtas noſtra transformatiuã habet virtutem.* enim transformatiua virtus, humana VOLVNTAS, ait D. Dionyſ. ſecundum quam, diligens, in illud quod diligit, transformatur; Ita, quòd; ſi homo virtutibus contemptis, vitijs adhæret, & ſenſualitatis motus ſequitur, in belluinos mores mutatur, vt Regius Pſaltes teſtatũ reliquit, *Pſal. 48.* Pſal. 48. dicens; *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Fuit namque homo in eius creatione, in ſummo conſtitu- *Creatio hominis nobilis.* tus honore, & poteſtate, cum DEVS omnia ſubiecerit ſub pedibus eius; at cum ad lignum vetitum, manum extendiſſet, diuinumq; mandatum tranſgredi auſus eſſet, mox, ab illa decidit dignitate, in qua creatus erat, & eodem tem- *Hominis lapſus.* poris momento, in tantam delapſus eſt miſeriam, quod brutis inſipientibus aſſimilatus eſt. Et vt magis propriè loquamur; Nos ipſi, qui in baptiſmi fonte regenerati ſumus, ſtatim atque ad diſcretionis annos peruenimus (quo

ſanè

ſanè tempore, bonum à malo internoſcimus) ſi VOLVNTATEM propriam habere volumus (nominatur autem propria voluntas illa, quæ à DEI voluntate recedit) non ſolum inobedientia apud DEVM eſt, ſed ingens ſuperbia, quæ initium eſt omnis peccati, quam D. Bernardus ſer. 2. de Reſurr. lepram nimis peſſimam vocat, ſubdens illicò verba hæc: Ceſſet VOLVNTAS propria, & non erit Infernus; Qua de cauſa Sapiens Eccleſ. 18. nos hortatur eam non ſequi, dicens; *A VOLVNTATE tua auerte*; Adeò enim nociua eſt, & venenoſa propria VOLVNTAS noſtra, quòd non ſolum malorum omnium cauſſa eſt, verum etiam, ſi qua bona ex propria VOLVNTATE fiant, apud DEVM, bona non reputantur, neque illi grata ſunt, qui potius ea abbominat, ſicut per Iſai. 58. ipſemet DEVS dicit; *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur VOLVNTAS veſtra*; Quæ ſanè verba exponens D. Bern. ſer. 71. ſuper Cant. inquit; Si in die ieiunij mei inuenitur VOLVNTAS mea, non tale ieiunium elegit ſponſus, nec ſapit illi ieiunium meum, ſed vitium propriæ VOLVNTATIS ſapit, & illicò ſubdit; Grande malum propria VOLVNTAS, qua fit, vt bona non ſint. E contra verò, propriam VOLVNTATEM non habere, ſed eam DEI VOLVNTATI in omnibus ſubiectam habere, totius vitæ Chriſtianæ forma hæc eſt, & perfectio, ac ob id Dauid dicebat Pſal. 29. *Vitam VOLVNTATE eius.*

*Volũtatem propria habere malũ eſt.*

*D. Bernar.*

*Volũtas omnium malorum cauſa.*

*D. Bernar.*

*Volũtatem Deo habere ſubiectã ſũma perfectio eſt.*

Quonam modo CAROLVS glorioſus à teneris vnguiculis (vt aiunt) vſq; ad extremam vitæ ſuæ lineam, in omnibus, & per omnia, VOLVNTATIS ſuæ potẽtiam, DEO ſubiectam teneret, qui non ſolum præceptis, ſed & diuinis conſilijs, immò & cœleſtibus inſpirationibus, obedire ſemper ſtuduit, ex noſtro THEATRO SPIRIT. multis in locis, multa diximus, quare ad hanc præclaram CORDIS CAROLI potentiam manifeſtandam, non inconueniens eſt SYMBOLVM ſupertus propoſitum.

*B. Caroli volũtas in rebus Deo ſubiecta fuit.*

De HELIOTROPIO, quod iugiter cum SOLE mouetur. Eſt autem HELIOTROPIVM herba, quæ cum SOLE (etiam nubilo die) ſe circumagit, omnibusq; horis cum illo vertitur. Hæc inquam herba, ex terræ humiditate, per vaporum eleuationem, virtute SOLIS (quem-

*Heliotropij natura.*

786



admodum aliæ herbæ) procreatur. Solis radijs mediantibus igitur, vapor quidam è terra educitur, ex quo poſtea HELIOTROPIVM producitur.

*Homo eſt myſticū Heliotropium.* Hoc idem de myſtico HELIOTROPIO, ideſt de homine, dici poteſt, qui a SOLE immateriali CHRISTO per gratiam, è terra educitur, de illa terra inquam, de qua Iob c. 10. dicebat; *Terra miſeriæ, & tenebrarum.* Ad hanc per peccatum deſtinatus erat homo, qui nihil aliud eſt, quã vapor a terra eleuatus, iuxta Simaci tranſlationem, ſuper *Simacus,* illud Pſal 143. *Homo vanitati ſimilis factus eſt*, qui legit; Homo vapori ſimilis factus eſt, qui quidem vapor, virtute SOLIS CHRISTI, ideſt per eius ſanguinem, a terra inferni per gratiã erutus eſt. Iſto igitur HELIOTROPIO producto, ideſt homine, quem virtute baptiſmi in filium adoptauit CHRISTVS, vſq; ad annos diſcretionis (quo ſanè tempore bonum a malo diſcernere poteſt) veluti HELIOTROPIVM ad CHRISTVM SOLEM, animę ſuæ faciem (baptiſmi virtute) conuerſam teneat ſemper; verum tunc temporis, bonum a malo diſcernere ſciens, ſi in præceptorum ſuorum obſeruatione perſeuerat homo, diuina gratia adiutus, iugiter illum ſequitur, veluti HELIOTROPIVM, quod ad quemlibet motum SOLIS, illum concomitatur.

*Homo in baptiſmo filius adoptiuus Chriſti.*

*Heliotropiū Soli materiali ſimile eſt.* Eſt autem flos iſte, tam in pulchritudine, quam in circulari figura, nec non in radiorum multitudine, colore, ac magnitudine, ita ſimilis, ipſius SOLIS qualitatibus, quod SOLIS verum ſpecimẽ in terra a natura procreatum eſſe apparet, qui talem erga ſuum obiectum habet affectum, ꝙ in eo (id ꝙ prouerbialiter dicitur) adimpletur, videlicet; *Simile gaudet ſuo ſimili*; Quare, omni terreno humore exutus flos iſte, omnem adhibet diligentiam, vt ipſo SOLI placeat, vndè, in motu per omnia illi aſſimilatur, & hoc quotidiè experimur. Erigit ſe HELIOTROPIVM tũc, cum SOL oritur, Extollitur; cum SOL alta petit in meridie; flectitur, cum SOL in veſperis inclinatur, demum; ſuper terram ſe collocat, cum fons lucis occidit, quare meritò dicere poteſt, vt NOEMA habet.

NON INFERIORA SEQVOR; quippè qui SOLEM, in alta parte cœli conſtitutum, ſemper concomitatur,

tur, illumq; ad nutum ſequitur, nec ab eius motu vnquam recedit Hęc inquam omnia CAROLI glorioſi VOLVN *B. Carolus* TATI, aptanda forè, non dubitamus, qui terrenis hiſce *Heliotropiu* contemptis, in omnibus DEI VOLVNTATEM (que- *fuit.* madmodum HELIOTROPIVM SOLEM materialē) ſequebatur, vnde dici poterat; *VOLVNTAS EADEM:* Nihil enim prætermittebat Sanctus Paſtor, q̄ ad DEI ho norem, ad animarum vtilitatem, & ad ipſius ſalutem conſequendam prodeſſe poſſet; Nam ſi verum eſt id, q̄ vulgo dicitur; *Vbi Amor, ibi oculi,* cum CORDIS oculos VO- *B. Caroli* LVNTATEM videlicet) ad DEVM vſq; a teneris annis *volūtas ad* conuertiſſet CAROLVS, meritò dicere, poterat vt in *Deum ſem-* THEMATE; *per conuer-* *ſa.*

*Ego DILECTO meo, & ad me CONVERSIO eius.* Ac ſi dixiſſet, ego (inquam) VOLVNTATIS meę poten *B. Carolus* tia, totus, CHRISTO, ſum dicatus; ipſius mens, mea nor- *totus Deo* ma eſt; VOLVNTAS mea, memoria, intellectus, cor, ocu *dicatus.* li, lingua, labia, & omnia, quæ in me ſunt, cuncta ei dicata eſſe volo, nam tota die in me ipſo experior, quod; *Ad me CONVERSIO eius eſt*: vel vt Pagninus legit, & ad me eſt *Pagnin.* deſiderium eius; etenim omni temporis momento, pręclara amoris pignora, CAROLO dilecto, dabat illi DEVS, dùm per maiorem gratiam, propriæ alienæq; ſaluti conſulebat. Quare huic ANATOMIÆ ſpirituali CORDIS glorioſi CAROLI extremam manum imponētes, ipſum exoremus nos, qui in hac peregrinatione (immo in hoc exi *Authoris* lio) commoramur, vt ipſius precibus mediantibus, COR *exoratio ad* noſtrum circa diuinorum præceptorum, & conſiliorum *B. Carolū.* obſeruationem, inflammatum ſit, adeò q̄ vna cum duobus diſcipulis euntibus in Emaus, dùm & nos in via ſumus, dicere poſſimus, *Non ne COR noſtrum ardens erat in nobis dū loqueretur in via,* eius doctrinæ pręceptorum, & conſiliorū (vt in libro ab eo condito, qui ACTA Eccleſiæ Mediolanenſis inſcriptus eſt) non imme nores, quare eius veſtigia ſequentes, illum conſortem habere mereamur in cœlis, quem Paſtorem habuimus in terris. Præſtante Domino IESV CHRISTO, qui ſit benedictus in ſæculorum ſæcula. Amen.

9945127

7vv

Google